

## Anhang

### Sondermaßnahmen von Bischof Trochta vom Juli und August 1949<sup>1</sup>:

**MANDATUM SPECIALE**  
**de reservatione causarum et exceptione**  
**Excellentissimi et Reverendissimi Domini**  
**Mons. THDr. STEPHANI TROCHTA**  
**episcopi Litomericensis**

Cum ex iuris dispositione plures causae Episcopo Ordinario reserventur, utpote quae maiorem responsabilitatem secumferunt, Ecclesiae, Dei iurium magis laesivae evadere possunt ac propterea specialem personae Episcopi industriam requirunt, aut Ordinis episcopalis exclusive propriae sunt, haec quae sequuntur a iurisdictione Vicarii Generalis pro tempore existentis et Provicariorum Generalium secundum normas a Nobis traditas eidem succedentium, subtrahimus et Nobis reservamus, nisi aliud a Nobis in casu particulari cautum fuerit:

1. Concessio litterarum dimissoriarum ad nomam Can. 958.
2. Designatio primi Vicarii cooperatoris /Can. 472, 476 ss./.
3. Collatio beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum /definitiva!/ Can. 152, 1432/ et mutatio titularium officiorum et beneficiorum.
4. Consensus ad erigendum domum religiosam in dioecesi /Can. 497 §1/.
5. Erectio vel suppressio personae moralis eccl. cuiusvis in dioecesi /Can. 100 §1; 99 §1/.
6. Confirmatio, constitutio, mutatio superioris in religione aut societate, instituti iuris dioecesani vel Ordinario loci subiectis, ad normam iuris /Can 506 § 4; 698 § 1; 1357 etc./.
7. Constitutio commisariorum in domibus religiosarum.
8. Elargitio honorum Ordinario reservatorum.
9. Praesentatio candidatorum ad honores Aulae Pontificiae.
10. Contractus, in quibus negotia pertractantur summas a C.I.C. permissas excedentia /Can. 1530, 1532ss./.
11. Conventiones cum organis civilibus aliaque similia, si momentum loci superent /excedant/. Huiusmodi vero conventiones permittuntur sine tamen laesione iurium Dei et Ecclesiae, si iurisdictio Ordinarii impediatur.
12. Omnia, quae directionem Seminarii, educationem candidatorum ad sacerdotium, catechistarum, Actionem catholicam respiciunt.

---

1 In: ABS, V 2309 MV 02 (Štěpán Trochta). Tschechische Übersetzung auch hier.

13. Conscientiae matrimonium permittere, de quo in Can. 1104.

Quodsi tamen iurisdictio Nostra ita impedita fuerit, ut cum Vicario Nostro Generali vel Provicariis Generalibus nullo modo communicare potuerimus solum pro illo casu reservationi factae derogamus et ad omnia, quae obiectum sunt reservationis per ipsas istas litteras Vicario Generali et aliis Provicariis Generalibus secundum normas supra dictas MANDATUM SPECIALE conferimus, ut licite et valide eadem ad bonum Ecclesiae exsequi valeat.

DATUM EX AEDIBUS RESIDENTIAE NOSTRAE EPISCOPALIS  
Litomericii, die 24 Iulii a. D. 1949

Frant. Krutílek  
a secretis

+Stephanus  
episcopus

**EXPOSITIO INTENTIONALIS EXCELLENTISSIMI AC REVERENDISSIMI  
DOMINI  
MONS. THDR. STEPHANI TROCHTA  
ORDINARII LITOMERICENSIS**

Fratres in Christo, carissimi et dilectissimi!

Perdifficilis ac omnino specialis dioeceseos Nostrae Litomericensis condicio, quae duarum tertiarum partium sacerdotum in animarum cura necessario laborantium penuria afficitur, necnon aliis animarum curam pastorem concernentibus mediis etiam materialibus privata exstat, certa quadam ordinatione seu reorganizatione opus habet, ne animarum cura universaque vita christiana detrimentum vix sanabile patiat.

Etenim nonnulli sacerdotes plurium vel paroeciarum administratione pergravantur; insufficiens aut perdifficilis cleri mutua relatio ac inter se fraterna unio, vel cum officio Vicariatus foranei communio haud facilis, necnon adhuc difficilior crescens aditus et consuetudo cum Ordinariatu efficit, ut rerum ecclesiasticarum prout a iure canonico et civili pertractanda praescribitur, non raro protrahatur provisio, potissimum res quo attinet spirituales, religiosas, iurisdictionem, dispensandi facultates aliaque huiusmodi.

Necessitas quoque perspicitur maioris et efficacioris unionis administrativae paroeciarum et Vicariatuum foraneorum respectu habito praesertim verae indigentiae, utilitatis summae, immo et absolutae necessitatis localis et personalis, necnon recentioris ordinationis statalis districtuum localium, regionalium /okresní/, provincialium /krajský/. Ecclesia etenim Christi nova et vetera mature perpendens continuo, nec ullo terrarum spatio circumscripta vel limitata, ex interna sua vitalitate a suo Divino Conditore sibi collata media temporibus, circumstantiis, locis magis aptata producit eo fine tantum, ut animarum salus in tuto ac recto ponatur itinere.

Qua de causa, ut animarum salutis aeternae necessitatibus spiritualis magis adhuc et expeditius occurratur, ne vita christianitatis nostrae pessumdetur et labor pastoralis detrimentum patiat, ante omnium – sine discrimine – sacerdotum oculos, mentes ac cor proponuntur et principia premuntur, prout sponte a sacris canonicis institutionibus profluunt; atque insuper de matura consideratione et auctoritate Nostra, deque iudicio et consilio Coetus consultorum dioecesanorum statuuntur, quae sequuntur:

I. Ad EPISCOPUM ORDINARIUM ex ordinatione Divina et Sedis Apostolicae dispositione totius dioeceseos regimen universum spectat, quam in spiritualibus, tam in temporalibus, scilicet omnia, quae fidem respiciunt, mores, institutiones, disciplinam cleri et populi christiani, necnon bona ecclesiastica, quibus dioecesim in omnibus negotiis secundum leges divinas ac vigentes leges canonicas sub auctoritate Romani Pontificis gubernat /can. 329/.

II. VICARIUS GENERALIS eundem Ordinarium pariter in spiritualibus et temporalibus cum potestate utique ordinaria, sed vicaria, coadiuvat, exceptis illis causis, quae ex iuris vel ipsius Ordinarii dispositionibus soli Ordinario reservantur /can. 366-371/.

III. Ordinario ex parte vel ex toto impedito omnia, quae dioeceseos regimen concernunt, praeter ea, quae ordinis sunt episcopalis aut mandatum speciale Episcopi requirunt, ad Vicarium Generalem spectant, cui impedito a momento habitae notitiae impeditae iurisdictionis Vicarii Generalis PROVICARIUS GENERALIS /primus, secundus, tertius... / succedit, qui eius vices suppleat /can. 366, § 3/.

Qui omnes dioeceseos regimen universum cum obligatione assumunt eandem dioecesim administrandi ac regendi secundum Sacros Canones, mentem et voluntatem Episcopi /can. 369/.

IV. Ordinarium in dioeceseos regimine COETUS CONSULTORUM DIOECESANORUM iuxta can. 423-427 CIC adiuvat eique consilium in rebus magni momenti, prout a iure statuitur, praebet suamque mentem libere aperit.

V. Pro bonis ecclesiasticis administrandis Ordinario CONSILIUM ADMINISTRATIONIS secundum can. 1520, §1 legitime constitutum assistit.

VI. In causis iudicialibus, quatenus iustitiae administratio ad tramitem stricti iuris praescribatur pertractanda, Ordinarius ab OFFICIALI, ad normam can. 1573 legitime electo, assistitur.

Ad TRIBUNAL DIOECESANUM omnes causae, in quibus sacrum vinculum christiani cons[or]tium matrimonialis et sacrae ordinationis praesertim impugnatur, semper et exclusive demandari debent.

VII. VICARII REGIONALES /oblastní vikáři/ pariter constituuntur qui plures vicariatus foraneos de speciali Ordinarii commissione administrant, eorumque curam peculiarem gerunt.

Divisio vicariatuum provisorie tantum instituitur respectu habito circumstantiarum localium et personarum, quae officia concredita expedite in maiorem animarum utilitatem exsequi valeant.

Vicariatuum regionalium sedes constitutae sunt: 1/ Litoměřice, 2/ Žatec, 3/ Osek, 4/ Děčín, 5/ Liberec, 6/ Mladá Boleslav.

Vicariatus regionales sequentes vicariatus foraneos comprehendunt:

1. Litoměřice: Litoměřice, Libochovice, Ústí n/L., Ústěck, Mělník.
2. Žatec: Žatec, Louny, Chomutov, Kadaň, Jesenice.
3. Osek u Duchcova: Bílina, Most, Teplice.
4. Děčín: Děčín, Česká Kamenice, Šluknov, Česká Lípa.
5. Liberec: Liberec, Frýdlant, Jablonné v Podj., Jablonec.
6. Mladá Boleslav – sídlo v Kováni: Mladá Boleslav, Nymburk, Doksy, Turnov, Mnichovo

Hradiště, Semily.

Vicarii regionales perdurante munere membra sunt quoque Coetus consultorum dioecesanorum cum omnibus iuribus et officiis ad normam cann. 423 et ssq.

Vicario regionali in munere fideliter et prudenter exsequendo unus vir ecclesiasticus tribuitur, qui SECRETARII officio fungatur.

Ne vitae christianae progressus et confirmatio retardetur, vicariis regionalibus speciales facultates tribuuntur cum iure easdem facultates in territorio sibi assignato rite explicandi iuxta SS. Canones, instructiones Apostolicae Sedis. Ordinarii proprii, necnon doctrinam apud probatos auctores traditam.

Itaque VICARIUS REGIONALIS in suo quisque territorio valet:

1) Facultatem trinationis concedere „diebus Dominicis et festis de praecepto tantum, servato ieiunio lege statuto quoad secundam et tertiam missam et dummodo tertia missa celebretur in alia Ecclesia, ubi aliae duae iam celebratae sunt, si id fieri possit absque gravi incommodo, constituto in singulis casibus de vera necessitate tertiae Missae, onerata supe hoc... conscientia, remoto quocumque administrationis vel scandali periculo, vetita celebrandi eleemosynae perceptione pro duabus Missis aliisque servatis de iure servandis“. (Cfr. ACL 1948, num. 2, pag. 12.).

2) Facultatem Missam vespertinam habitualiter celebrandi concedere, id est post horam tertiam decimam, „graviter onerata eorum conscientia super vera fidelium necessitate... quoties rerum cel personarum adiuncta id expostulent, diebus tum festis cum ferialibus, si et id omnino necessarium videatur...“ (Cfr. ACL 1949, num. 1, pag. 1-2).

3) Facultatem Sacrum litandi sub divo concedere, attamen per modum actus, servatis legibus liturgicis.

4) a. Dispensandi iusta rationabili ex causa super impedimentis matrimonialibus minoris gradus, quae in Can. 1042 recensentur, necnon super impedimentis impedimentibus, de quibus in Can. 1058 ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

b. Dispensandi ex gravi urgentiae causa... super impedimentis infra recensitis:

aa. Consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

bb. Consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu;

cc. Affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo;

dd. Publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium, quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

c. Dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, super impedimento mixtae religionis, et, si casus ferat, etiam super disparitate cultus, ad cautelam; quoties prudens dubium priatur de collatione baptismi partis acatholicae; quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter, ad praescriptum CIC Can. 1061 § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis et moraliter sibi certum sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte nupturientis acatholici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam. Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum,

ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem CIC Can. 1063, § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, iuxta Can. 2319 § 1, n. 1°, stricte caeteroquin servatis, quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in Can. 1063, § 2.

Quodsi partes actu in concubinato vivant, provideatur opportunis modis, ut scandalum, si adsit, removeatur et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur praevia eius absolute ab excommunicatione contracta, si forte matrimonium attentatum fuerit coram ministro acatholico, eique impositis congruis paenitentibus salutaribus; si autem ex illicita unione iam nata sit proles, partes moneantur de gravi obligatione iuris Divini curandi, pro posse, eius catholicam educationem et /si casus ferat/ conversionem, baptismum; a parte sicut catholica exquiratur huius obligationis implendae explicita promissio.

5) Designare confessarios extraordinarios religiosarum, de quibus in Can. 521, § 1, CIC, iisque iurisdictionem necessariam conferre.

6) Consecrare altaria fixa et portalia ritu et forma breviori. /Rescr. S.R.C. d. 26. Nov. 1948, n. L, 73/48/

7) Consecrare calices et patenas servato ritu et forma Pontificalis Romani.

VIII. Ad VICARIUM FORANEUM praeter ea, quae in Cann. 445 ssq. CIC recensentur, pertinet:

1) Facultas dispensandi a tribus matrimonialibus publicationibus, dummodo constiterit nihil matrimonii validae ac licitae celebrationi obsistere.

2) Facultas dispensandi super obligatoria documentorum autenticorum exhibitione, attamen pro foro ecclesiastico tantum, e.gr. testimonii baptismi...

3) Iurisdictionem, graviter onerata conscientia, conferre ad confessiones in proprio Vicariatus foranei territorio excipiendas sacerdoti extradioecesano, ad tempus decem dierum valituram, dummodo verificantur condiciones:

a. Sacerdos extradioecesanus „celebret“ possideat.

b. In propria dioecesi iurisdictionem ad confessiones audiendas iam habuerit;

c. Ne aliqua censura ecclesiastica innodatus sit; inquirat insuper constantine quodammodo sacerdotem adventantem optima esse conversationis ecclesiasticae.

4) Dispensare super votis, dummodo ne agatur de voto Apostolicae Sedi reservato.

IX. PAROCHI attamen omnes, qui parochum nomine in iure veniunt totamque animarum curam cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus ad normam iuris communis, secundum probata statuta dioecesana et laudabiles consuetudines exercent, prudenter et caute his facultatibus in futuro pro animarum salute uti valent:

1) Baptismum adultis conferre modo quoque parvulorum.

2) Facultate bis in die Sacrum litandi diebus Dominicis, festis de praecepto ferialibusque servatis conditionibus a iure et aliis instructionibus requisitis. Quam facultatem alii quoque sacerdoti concedere valent in propria paroecia.

Binatio diebus ferialibus indulgetur, „sed tantum prima feria sexta cuiuslibet mensis et occasione matrimonium vel funerum, dummodo nullus alius sacerdos praesto liber sit pro celebratione alterius Missae vetita celebran[d]i eleemosynae perceptione pro una e duabus Missis“ /Rescr. S.C. de Sacr. d. 7. VII. 1949, Nro 2221/49/.

3) Missam vespertinam celebrandi vel per se vel per alium sacerdotem, attamen per modum actus, id est semel aut iterum. Qua facultate tunc tantum uti valent, si rationes graves id saudeant, mairque exinde vitae christianae promotio iure sperari possit /Cfr. ACL 1949, N. 1, pag. 1/.

4) Missam celebrandi coram Ssmo Sacramento exposito.

5) Expositionem solemnem Ssmi Sacramenti etiam per totam diem celebrandi aliis quoque diebus praeter ordinem statutis /Cfr. ACL 1949, N. 4, pag. 47/.

6) Iurisdictionem, graviter onerata conscientia, ad confessiones in suae propriae tantum paroeciae territorio excipiendas sacerdoti extradioecesano, ad tempus trium dierum tantum valituram, conferre servatis condicionibus prout supra ad VIII, 3 statutis.

7) Dispensandi super duabus publicationibus matrimonialibus.

## X. ORATIO IMPERATA

1) Praeter orationes praescriptas a Rubricis vel a S.R.C. Papa pro universa Ecclesia, Episcopus pro sua dioecesi alias Orationes praescribere potest in Missae sacrificio dicendas. Ut differatur ab Oratione praescripta a Rubrica, vocatur Oratio ista „a Superiore imperata“, seu simpliciter imperata. Quia raro a Papa oratio imperatur, intelligitur hac voce imperata Oratio generaliter ab Episcopo dioeceseos praecepta. Ad dicendam huiusmodi orationem omnes in dioecesi sacerdotes celebrantes, sive seculares sive religiosi, etiam exempti obligantur.

2) Obligatio orationem imperatam in Missa dicendi tamdiu durat, donec Episcopus eam non avocaverit; nec licet cuiquam Orationem imperatam contra ordinationem Episcopi vel ante revocationem imperatae ab Episcopo voluntate propria omittere. Sicut in visitationibus compertum est non semel, sed continuo accidisse, ut Oratio imperata omitteretur. Qua de causa in unoquoque Sacratio /sakristie/ tabella seu album affigatur omnibus Missam celebrantibus visibilis, in quo clare scribantur: 1) Nomen Summi Pontificis, e.gr. Pius XII. 2) Nomen Episcopi dioecesani, e.gr. Stephanus, et 3) Orationes imperatae, e.gr. Pro Papa, Contra persecutores Ecclesiae, de Spiritu Sancto... Vicarii foranei in visitaionibus etiam ad ista mentem et attentionem advertant, ut tabellae ubique affixae habeantur et suaviter at fortiter ad id compellant.

3) Orationem imperatam quod attinet observandum est, utrum:

a. pro re gravi in una determinata Missa dicenda sit, aut ex aliqua speciali seria ratione pro uno determinato die, aut pro pluribus diebus;

b. per aliquod tempus longius et indeterminatum imperata fuerit.

In primo casu:

a. Oratio imperata omni die /unoquoque die/, etiam quando occurrit Duplex I. et II. cl. et Dominica I. cl., sub una conclusione cum Oratione Missae diei dicenda est, quando nulla alia commemoratio specialis occurrit;

b. quando autem commemoratio specialis occurrit, tunc post commemorationem specialem sub distincta conclusione sumenda est.

c. Duplicibus II. cl. et aliis diebus ritus minus sollemnis suam specialem conclusionem habet, quando nulla commemoratio occurrit; si occurrit commemoratio specialis, tum istam commemorationem sequitur cum secunda conclusione.

In secundo casu:

Si „imperata“ ad aliquod longius, indeterminatum tempus praescripta fuerit, hae, quae sequuntur, normae, valent:

Omittitur:

A. a. Duplicibus I. cl.

b. Illis diebus, quae privilegium unius Orationis habent /scil. Dominica Palmarum, tribus ultimis diebus Hebdomadae Sanctae, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes/.

c. In omnibus sollemnibus Missis votivis /pro re gravi sub ritu duplici I. cl./ et

d. In omnibus Missis de Requie.

e. Duplicibus II. cl. in omnibus Missis sollemnibus et cantatis et in omnibus Missis /etiam non cantatis/ conventualibus.

B. Dicitur vel omittitur:

Duplicibus II. cl. in non cantatis /tichých/ Missis privatis et paroecialibus.

C. Addensa est:

in ceteris omnibus diebus, etiam omnibus Dominicis Adventus et Quadragesimae, Feria IV. Cinerum, tribus primis diebus Hebdomadae Sanctae, sicut etiam ultimis quatuor diebus Hebdomadae Paschae et Pentecostes et omnibus diebus eiusdem vel minoris ritus /duplex maius et minus etc./.

4) Tempore vacationis sedis episcopalis oratio imperata est pro eligendo Episcopo usque ad diem, qua titularis Sedis episcopalis in Consistorio secreto a Papa publicatus est.

5) Numerus orationum a Rubrica praescriptarum numquam minui potest; quare nec Oratio tertia „ad libitum“ omittenda est.

6) Quando sumenda est sicut commemoratio communis Oratio pro Papa vel Ecclesia et una earum est simul imperata, altera est ergo sicut commemoratio communis sumenda, dum altera sicut imperata addenda.

7) Series seu positio imperatae: Imperata ad longius tempus ordinata post

commemorationes speciales et communes et post commemorationem Ssmi inseritur, uamdiu praecepta est, sed orationem votivam libere electam praecedit.

Quodsi oratio imperata celebratione sollemnis Missae votivae substituitur, tunc nulla propria imperata habetur, sed Duplicibus I. cl. et Dominica I. cl. nulla alia commemoratione recurrente, orationi Missae sub una conclusione adiungitur.

Si autem dictis diebus expositio Sanctissimi Sacramenti locum habeat, tunc oratio de Ssmo cum Oratione Missae sub una conclusione coniungitur et tunc demum imperata cum propria conclusione sequitur. Ita praescriptum erat orationem quod attinet adiungendam de Spiritu Sancto tempore Concilii (Decr. 21. Apr. 1971, Num. 3245/5480).

8) Si plures habeantur Orationes imperatae, tunc inseruntur, secundum dignitatem personarum aut obiecti, resp. prout in Litaniis Omnium Sanctorum aut secundum ordinem, quo orationes votivae aut orationes diversae in Missali positae sunt.

Attamen orationes bona spiritalia respicientes orationes bona materialia, terrena considerantes praecedunt, ut v.gr. oratio pro remissione peccatorum prius dicenda est prae oratione pro petenda pluvia, quamvis haec in Missali antiposita fuerit.

9) Orationes IN DIOECESI LITOMERICENSI imperatae sunt sequentes:

a. Una a S. Pontifice pro universa Ecclesia: PRO PAPA

b. Duae ab ipso Ordinario:

aa. CONTRA PERSECUTORES ECCLESIAE, quas in ordine Orationum in Missali sub numero 11 reperitur. Quae non est pro re gravi.

bb. DE SPIRITU SANCTO, quae uti pro re gravi dicenda est.

Memores sint sacerdotes omnes, quibus facultates concedentur, ut iis nonnisi in animarum salutem, iusta ac rationabili de causa, qualibet personarum acceptione posthabita, omni cuiuslibet speciei quaestu reprobato, ad maiorem Dei gloriam, laudem Ecclesiae catholicae, decus sacerdotii utantur. Caveant, onerata super hoc eorum conscientia, abusus irrepant. Fidem avitam profiteantur intrepide, a rebus ab Ecclesia et sacerdotio alienis abstineant, quacumque vell umbram apostasiae, haeresis, schismatis fugiant praefereutes potius mori, quam cum infamia et dedecore in animarum ruinam vivere. Officium sanctissime adimpleant, praescripta ecclesiastica in bonum animarum interpretentur esse data, devotissimeque eadem servant. Meminerint semper, maximeque his nostris temporibus illius gravissimi moniti S. Gregorii Magni: „Ruina populi sunt sacerdotes mali.“

Sacerdotes libentissimae orent et Missae sacrificium devotissime celebrent, ut Deus pacem, unitatem Ecclesiae suae, fidem et veritatem animis concedere et omnes ad iugum suum suavissimum, regnum Sacratissimi Cordis Filii sui Auspice Maria Auxiliatrice christiani populi, S. Stephani et omnium Sanctorum quam primum perducere dignetur. Orent etiam sacerdotes ipsi et fideles exhortentur, ut pro suo quoque Episcopo et dioecesi fervidissimas ad Omnipotentem et Mariam admoveant preces fidentes, memores illius Dominici effati: „Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis... usque modo non petistis quidquam...“ „Orate, sine intermissione orate...!“

Orationibus fidelium canonisatio B. Zdislavae enixissime commendatur, ut ad optatum finem tandem aliquando conduci possit.

„Cruciatae“, ut ita dicam, preces in unaquaque paroecia ordinentur maxime cum interventu puerorum et puellarum tenerae aetatis pro pace et christiano consortio in populo nostro.

Expositio SS. Eucharistiae statis diebus iuxta ordinem et etiam extra, in quantum fieri potest, in paroeciis magno cum concursu populi celebretur.

Fideles ad frequentem Sacramentorum susceptionem, praesertim S. Penitentiae et SS. Eucharistiae, ut vitam supernaturalem, maxime sine peccato mortali, vivere assuescant ac insuper pro peccatis et offensionibus opera mortificationis, paenitentiae et satisfactionis voluntariae et libentissimae suscipiant pro salute animarum suarum et fratrum suorum, pro SS. Pontifice, unitate et concordia Ecclesiae catholicae, Episcopis. Sacerdotes semper memores sint monitionis S. Pauli se omnibus exemplum bonorum operum exhibere debere, quia si quid generatio una officii suis deficiens eaque graviter negligens destruit, plures generationes vix reparare queunt.

DATUM IN RESIDENTIA EPISCOPALI LITOMERICENSI  
MENSE IULIO 1949



## NORMAE IN CONCESSIONE FACULTATUM AB OMNIBUS NECESSARIO SERVANDAE!

- 1) Omnes, ad quos spectat, dispensationem in LIBRO DISPENSATIONUM sedulo servando, accuratae adnotent necesse est, prout gravitas rei postulat, inque adnotatione referatur: quis, cui vel quibus, ad cuius preces, quid, quando, quomodo, ob quasnam rationes concessum vel dispensatum fuerit.  
Graviter monentur omnes, ne in rebus tanti momenti, praesertim in iis negotiis, in quibus dispensationis defectus nullitatem actus vel gravem illiciteitatem aut abusum secumferat, pariter si defectus adnotationis in Libro dispensationum partibus ansam praebere possit actum vel negotium iuridicum impugnandi, memoriae propriae nimis fidant.
- 2) In unoquoque casu dispensationis concessae aut concedendae semper expressa fiat mentio „vi facultatum specialium“.
- 3) In usu facultatum prae oculis habeantur, quae in Can. 1048 et 1054 statuta reperiuntur.
- 4) Legitimo superiore ecclesiastico id postulante de numero et specie omnium dispensationum referendum est.
- 5) In unoquoque casu omnes officium secreti servandi prae oculis habeant.
- 6) In casibus dubiis, maxime vero illis, in quibus vinculum matrimoniale quomodocumque tangatur, ad Ordinarium vel Officiale Tribunalis semper recurrendum est.
- 7) Pro dispensationibus concedendis aequa et congrua oblatio seu taxa in dioecesi legitime inolita exquiratur et persolvatur.
- 8) Adnotetur semper, pro quam dispensatione taxa persoluta sit.
- 9) Respectu habito principii iuridici in Can. 204, § 1 CIC enuntiati omnes sacerdotes ad Ordinarium suum in omnibus quaestionibus praesertim gravioris momenti semper recurrere possunt.
- 10) Petitiones, allegata, documenta ne cumulentur, sed separatim in diversis foliis scribantur, quatenus ab Ordinario vel a Vicario generali transigendae sint, ut negotia expeditius atque sine temporis dispendio procedere possint.
- 11) Quaestiones omnes, quae respiciunt:
  - a. Sacramentum matrimonii, quatenus ordinis sint administrativi /ut e.gr. dispensationes, publicationes etc./ ad Seminarii maioris Revmum D. Rectorem transmitti possunt. /Vldp. P. Th.lic. Frant. Rabas, rektor kněžského semináře, Litoměřice, Komenského 4/
  - b. Quaestiones matrimoniales, quatenus de matrimonii ecclesiastici nullitate declaranda seu de sacro matrimonii vinculo agitur, directe ad Officiale Tribunalis transmitti possunt (Vldp. P.Dr. Emil Škurka, profesor, Osek u Duchcova).
  - c. Omnes casus dubii circa omnia sacramenta ad Revmum D. Rectorem Seminarii maioris dirigendi sunt.
  - d. Liturgiam sacram, binationes aliaque huiusmodi ad Illustriss. ac Revmum D. Msgre Josephum Výtvar, canonicum residentialem, dirigi possunt (Litoměřice,

Dom. nám. č. 6).

e) Scholam, instructionem scholasticam, aliaque eiusdem naturae quod attinet, ad Institutum Beatae Zdislavae, Litomericii, transmittantur (Vldp. P. Dr. Jan Skácel, Litoměřice, Michalova 13 (Zdislava)./

## **STATUTUM DE CONSTITUTIONE ET SUCCESSIONE IN OFFICIO VICARII GENERALIS**

Sacrorum Canonum praescriptis dispositum est, ut Episcopus pro sua dioecesi Vicarium Generalem sibi constitueret, qui ipsum potestate ordinaria in toto territorio adiuveret. Mandat insuper Legislator Supremus, ut, si casus ferat, alium sacerdotem sibi Episcopus constituat, qui Vicarii Generalis absentis vel impediti vices suppleat.

Quapropter gravitatem singularem temporum, dioeceseos, totiusque Ecclesiae catholicae his in regionibus considerantes et animo cupientes sive regimini dioecesis, sive omnibus spiritualibus et temporalibus fidelium necessitatibus providere debemus, ne quid civitas haec Nostra sancta, Deo electa, detrimenti capiat, de potestate Nostra Nobis a S. Canonibus et specialibus S. Sedis facultatibus concessa, per praesentes litteras hae, quae sequuntur dispositiones, constitutiones, officiorum provisiones, facultates ad regimen dioeceseos et animarum prospere explendum decernimus; in casu, quo iurisdictio Ordinarii impedita fuerit:

1. In Vicarii Nostri Generalis officio electum iam a Nobis Reverendissimum et Dilectissimum MONS. S. THEOL. DOCTOREM FRANCISCUM VLČEK confirmamus. /Vide ACL. 1947, No. 12/

2. Quodsi iurisdictio Vicarii Generalis impedita fuerit quovis modo, ipso facto a momento habitae notitiae de iurisditione impedita Vicarii Generalis, Provicarius Generalis PRIMUS succedit, qui eius vices suppleat, ad quod officium pariter per praesentes litteras eligimus, constituimus ac constitutum volumus Rev.mum D.num ThLic. FRANCISCUM RABAS.

3. In casu impeditae iurisditionis quovis modo Provicarii Generalis, eodem modo ac sub 2. succedit Provicarius Generalis SECUNDUS, in quem Rev.mum D.num ThDoctorem ADALBERTUM MARTINU per praesentes litteras eligimus ac constituimus et constitutum volumus.

4. Si vero contingat, ut alteruter absens sit vel iurisdictio eiusdem impedita fuerit, tunc haec quoad designationem subsequentis Provicarii Generalis constituimus:

a/ Ius eligendi personam Provicarii Generalis TERTII et sequentium ad Coetum consultorum dioecesanorum transit et quem Coetus consultorum elegerit, hunc per praesentes litteras electum et constitutum volumus, tamquam Provicarium Generalem.

b/ Si vero Coetus conslutorum dioecesanorum haberi nequeat, tunc mandamus omnibus Provicariis Generalibus, ut statim a momento assumpti officii 3 viros caute et secreto designent, tantum alteri Provicario Generali notos, quorum unus alteri impedito vel absenti ipso facto ac alii supra sub n. 2 succedat in officio servato ordine designationis. Quem etiam Nos per praesentes litteras constituimus et confirmamus.

5. Si neutra hypothesis hucusque tradita possibilis fuerit, ius eligendi Provicarium Generalem ad Administratores actuales Vicariatuum foraneorum devolvimus. Provicarium Generalem eligent, quem electum Nos per praesentes litteras etiam constituimus et confirmamus.

6. Omnes, ad quos electio Provicarii Generalis spectare contingat, meminerint et prae oculis habeant semper, quae in C.I.C. in Can. 160 ss. /De electione/ et Can. 366 ss. statuuntur, quolibet humano respectu et personarum acceptione posthabitis.

7. A momento impeditae iurisdictionis Episcopi Ordinarii duo simul Vicarii Generales, i.e. Vicarius Generalis actualis cum Provicario Generali primo et ita deinceps, dioecesim regant. Quo in casu Primo Vicario vel Provicario in officio facultates ampliores, quae in Mandato speciali Episcopi continentur, reservantur, dum alteri facultates omnes, quae ex C.I.C. Vicario Generali sede plena et non impedita competunt, exceptis iis, quae alteri – antiquiori in officio vicario – reservantur. Consilium mutuuum vel Coetus consultorum dioecesanorum ad normam iuris in gravioribus negotiis, sicut Ordinarius tempore pacis, petere ne omittant.

8. Necesse est tamen, ut omnes secundum mentem et voluntatem Episcopi procedant, ne umquam ea statuunt, quae iuribus Divinis, ecclesiasticis, animarum saluti obsistere possint aut gravia damna causent.

Meminerint semper omnes illius dicti „potentes potenter tormenta passuros esse“, si officiis suis graviter defuerint.

DATUM EX AEDIBUS RESIDENTIAE NOSTRAE EPISCOPALIS  
Litomericii, Mense Iulio, a. D. 1949.

Frant. Krutílek  
a secretis

+Stephanus  
episcopus

**Per la Direzione della Diocesi di Litoměřice /Cecoslovacchia/ fu provvisto dal l'Ordinario in questa maniera:**

1. Episcopo impedito assume la direzione della diocesi l'attuale Vicario Generale  
MONS. THDr. FRANCESCO VLČEK  
secondo il Mandatum speciale e Statutum de constitutione et successione in officio Vicarii Generalis.

2. I due Provicarii secondo i due sudette Istruzioni sono:  
1/ Th.Lic. Prof. FRANCESCO RABAS, Rettore del Seminario Maggiore a Litoměřice  
2/ Th.Dr. Adalberto MARTINŮ, professore del medesimo Seminario.

Ogni Vicario ha il diritto d'indicare secondo norme stabilite dall Vescovo sempre un'altro Provicario in caso, che prevedesse, che l'elezione del nuovo Vicario Amministratore dai membri del Coetus consultorum dioecesanorum sarebbe impossibile.

3. I membri del Coetus consultorum dioecesanorum sono questi:  
1. Mons. Dr. Francesco Vlček, Vic. gen.  
2. Mons. Antonio Výtvar, canonico /l'unico/  
3. Mons. Giuseppe Kuška, Protonotario apost., paroco a Kovář  
4. Th.Lic. Prof. Francesco Rabas, Rettore del Seminario Maggiore  
5. Mons. Venceslao Slavík, paroco a Klapý  
6. Mons. Giuseppe Pietschmann, profesore del Seminario Maggiore.

4. In forza della nuova disposizione cioè la costituzione dei due Provicarii e la divisione della diocesi in sei Vicariati Regionali diventano membri del ceto dei consultori, tutti i Provicarii e Vicarii Regionali, che sono questi:  
1. Th.Dr. Adalberto Martinů, secondo Provicario Generale  
2. P. Francesco Vojtek S.J. Rettore del Collegio dei Gesuiti a Děčín /la regione di Děčín/  
3. P. Adalberto Kodera, Amministratore a Liberec /la regione di Liberec/  
4. Th.Dr. Emilio Škurka S.D.B. profesore del Seminario Maggiore dei Salesiani ed ufficiale del Tribunale eccl. per la regione di Osek.  
5. P. Bernardino Mokřý Ord.Praem, per la regione di Žatec.

5. In complesso esistono quindi undici membri del Coetum consultorum dioecesanorum.

Inoltre stano a capo delle altre regioni questi sacerdoti:

1. P. Francesco Rabas per la regione di Litoměřice
2. Mons. Giuseppe Kuška per la reg. di Ml. Boleslav.

Questi due sacerdoti sono membri del Coetus consultorum dioecesanorum, già ex alio titolo.

6. Ogni Vicariato regionale sta a capo di tre- sei Vicariati foranei. Le singole sedi dei Vicariati foranei sono questi:

1. Litoměřice: ThDr. Francesco Rabas, prof.
2. Liberec: P. Adalb. Kodera, Amministratore

3. Mladá Boleslav	Mons. Gius. Kuška, Apost. Pronot.
4. Děčín	P. Francesco Vojtek S.J.
5. Osek	ThDr. Emilio Škurka S.D.B.
6. Žatec	P. Bernard. Mokřý O.Praem.

### **Iuramentum**

Ego inscriptus Franciscus Vlček, Vicarius Generalis dioecesis Litomericensis ac si opus ferat Substitutus Ordinarii Litomericensis in regimine dioeceseos

spondeo, promitto ac iuro

me munus mihi commissum fideliter ac diligenter adimpleturum servatis omnibus praescriptionibus Codicis Iuris Canonici, quovis respectu humano posthabito, atque officii mei secretum inviolabiliter servaturum.

Item spondeo, promitto ac iuro me omni studio omnique obsequio mentem Ecclesiae et Ordinarii semper fideliter interpretaturum, potissime quoad integritatem fidei, morum et disciplinae Sanctae Romanae Ecclesiae cuius praxim et legitimas consuetudines omnibus viribus defendere prae oculis tenebo.

Sic iuro, sic spondeo, sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Franciscus Vlček  
Vicarius Generalis

Litomericii, die 18. Augusti 1949

**Brief von Octavius (Otavio) de Liva vom 29.10.1949 an die Ordinarien** (an Bischof Karel Skoupý)<sup>2</sup>

Sub secreto Pontificio

NUNTIATURA APOSTOLICA

No. : 7953  
Praha die 29 Octobris 1949  
Voršilská 12.

Excell.me ac Rev.me Domine,

De venerabili mandato Secretariae Status Suae Sanctitatis honori mihi est Excellentiae Tuae Rev.mae significare, pro casu in quo impossibile erit Internuntiaturae Apostolicae Tecum, et Tibi cum Sancta Sede communicare, et si periculum gravis damni in mora erit, hanc Pontificiam Legationem Te subdelegare ex nunc pro tunc cum facultate iterum subdelegandi quatenus opus erit, ut omnes facultates specialissimas hisce litteris adnexas concedere possis.

Sacerdotes ab Excellentia Tua subdelegati, ubi primum possibile erit, de usu facultatum Te certiosem faciant.

Item Excellentia Tua Secretariae Status S.S. relationem generalem circa facultates concessas exhibebit et de modo quo sacerdotes facultatibus usi sint eidem rationem reddet.

Precibus Tuis me commendans eo quo per est obsequio me profiteor

Excellentiae Tuae addictissimum  
Mons. Octavium De Liva m.p.  
Negotiorum Sanctae Sedis Gestorem.

---

Ex.mo ac Rev.mo Domino  
Mons. Carolo Skoupý  
Episcopo Brunensi,  
Brno.

I.- Facultates specialissimae continent omnes et singulas gratias atque dispensationes, quae Sancta Sedes concedere solet, cum exceptionibus de quibus infra.

1.- Remanent exclusae facultates:

a/ dispensandi sacerdotes a lege coelibatus,

b/ dispensandi ab impedimento affinitatis in primo gradu lineae rectae consummato matrimonio /Cfr. can. 97 § 1/,

c/ dispensandi super matrimonio rato et non consummato. Excellentiae Tuae Rev.mae facultas conceditur instituendi relativum processum canonicum, secundum normas a Sacra Congregatione Sacramentorum statutas. Actus processus, quantum possibile est, clausi et obsignati Sacro Dicasterio remittendi erunt.

2.- Pariter sunt exclusae ab ambitu praesentis delegationis:

a/ facultas nominandi vel transferendi Episcopos aut accipiendi eorum dimissiones.

(weiter gestrichen – unlesbar)

---

2 In: ABS, V 1192 HK (Karel Otčenášek).

b/ facultas modificandi quomodocumque statum dioecesium aut erigendi Administrationes Apostolicas autonomas. In difficultatibus fortuitis quae in adsistentia religiosa fidelium determinantur territoriorum exsurgunt, (weiter gestrichen – unlesbar)

3.- Desiderium Summi Pontificis est, ne dispensationes a defectu aetatis pro Ordinationibus Sacerdotum super 18 menses concedantur, nec ordinentur, antequam studia praescripta perficiant.

4.- Excellentia Tua beneficis Sanctae Sedis reservata personis idoneis tunc tantum conferre poterit, cum ipsa provisio sine gravi incommodo differri non poterit, Rebus ad pristinum statum versis ad Datariam Apostolicam recurrendum erit ad petendam expeditionem Bullae qua ipsa provisio confirmabitur.

5.- Denique quoad fortuitam rehabilitationem Sacerdotum qui matrimonium attentaverunt prae oculis habeas normas a Suprema s. Congregatione s. Officii adhibitas, quas Excellentiae Tuae via reservata communico:

Resipiscentes a censuris „firma irregularitate“ absolvuntur, supposita perfecta separatione a muliere et reparato scandalo. Deinde in aliqua domo religiosorum per congruum tempus ad poenitentiam faciendam commoret. Interea negotia absolvantur ad perfectam separationem legalem vel divortium obtinendum. Post congruum poenitentiae tempus, ad celebrationem Missae tantum rehabilitentur plerumque „intra septa“. Ad confessiones audiendas facultas regulariter non conceditur, nisi multos post annos integrae vitae tantum, prius virorum, deinde raro mulierum.

II. a/ His specialissimis facultatibus Excellentia Tua in toto territorio Tibi commissio uti poterit.

b/ Dispositiones praesentium litterarum sub secreto Pontificio tenendae sunt.

III/ In concessione variarum gratiarum:

a/ praxis Romana, quantum possibile, sequenda est, cum in modo agendi, tum in cautionibus et condicionibus in singulis casibus apponendis.

b/ Ordinarii Sanctae Sedi congruam taxam, ut circumstantiae id permittant, persolvant.

c/ Excellentia Tua vel persona a Te subdelegata facultatum concessarum amplam relationem curabit, quae suo tempore Secretariae Status Suae Sanctitatis exhibenda erit.

Uniuntur duo indices facultatum a Sancta Sede iam pro iis regionibus, quae practicam possibilitatem Romam recurrendi supponunt, quorum primus status apertae persecutionis considerat. Tales indices adnectuntur non ad limitandum ambitum praesentium facultatum specialissimarum, sed tantum uti norma in usu earundem facultatum.

Pro toto tempore, in quo Ordinarii nequeunt ad Sanctam Sedem recurrere, omnes facultates, quibus nunc utuntur et quae elapso tempore vel exhausto numero casuum pro quo concessae erant, obsoletae fuerint, tamquam prorogatae censentur.

Pod papežským tajemstvím.

Apoštolská nunciatura  
7933

č.

Praha, dne 29. října 1949.  
II, Voršilská 12.

Nejvznešenější a nejdůstojnější pane:

Podle ctihodného pověření Státního sekretariátu Jeho Svatosti je mi ctí Tvé nejdůstojnější exelenci oznámit, že pro případ, v kterém nebude možné apoštolské internunciature vejít ve styk s Tebou a Tobě nižádným způsobem se Sv. stolicí a jestliže bude nebezpečí těžké škody v průtahu, že tato papežská legace Tě subdeleguje ex nunc pro tunc s oprávněním opětné subdelegace, pokud bude třeba, abys mohl postoupit všechna nejspeciálnější oprávnění, připojené k tomuto dopisu.

Kněží, subdelegovaní od Tvé exelence, jakmile jen jim bude možné, Ti dají zprávu o užití těchto oprávnění.

Také Tvá exelence podá Státnímu sekretariátu Svaté stolice úhrnnou zprávu o poskytnutých oprávněních a počet z toho, jakým způsobem kněží těchto oprávnění užíli. Poroučím se Tvým modlitbám a s poslušností, jaká se sluší, se znamenám.

Tvé nejdůstojnější exelenci  
nejoddanější  
mons. Oktavius De Liva,

Vykonavatel záležitostí  
Svatá Stolica

I/ - Nejspeciálnější zmocnění obsahují všechny a jednotlivé milosti a dispense, jež Sv. Stolice zpravidla udílí, s výjimkami, výtčenými níže.

1/ zůstává vyloučeno ze zmocnění:

a/ zprošťovat kněze od závazku celibátu,

b/ zprošťovat od překážky v přibuzenství v prvním stupni přímé linie pro konzumované manželství /srv. Can. 97 § 1/,

c/ zprošťovat ohledně manželství zamýšleného a nekonzumovaného. Tvé veledůstojné exelenci se poskytuje oprávnění, zavést příslušný kanonický proces podle předpisů, ustanovených Sv. kongregací svátostí. Spisy procesu, pokud to je možné, zavřené a zapečetěné mají být posláni sv. Dikasteriu.

2/ Rovněž jsou vyloučena z rozsahu přítomné delegace:

a/ oprávnění jmenovat nebo překládat biskupy nebo přijímat jejich demise. O uprázdněné diecese, pokud není možné je svěřit kapitulnímu vikáři, bude postaráno apoštolskými administrátory podle pokynu Sv. Stolice. Na ně, jako na kapitulární vikáře, bude možno přenést zmocnění sídelního biskupa.

b/ Oprávnění měnit jakýmkoliv způsobem stav diecesí nebo zřizovat samostatné

<sup>3</sup> In: ABS, V-4888 MV(Ladislav Hlad). Eine andere Übersetzung ins Tschechische: ABS, 943 508 MV (Aktion „Katolik“).



apoštolské administratury. V nahodilých nesnázích, které povstanou v náboženské péči o věřící dotyčných území, budiž postupováno se souhlasem ordinářů, o něž jde, jmenováním generálních vikářů nebo biskupských delegátů, jimž bude moci Tvá exelence udělit oprávnění, jim potřebná.

3/ Je přáním nejvyššího velekněze, aby nebyly udíleny dispense pro nedostatek věku při ordonaci kněží nad 18 měsíců a aby nebyli ordinováni dříve než dokončí předepsaná studia.

4/ Tvá exelence bude moci udělit vhodným osobám beneficia, vyhrazená Sv. Stolicí, teprve tehdy, když samo opatření nebude se moci odložit bez vážné nesnáze. Jakmile se věci vrátí k prvotnímu stavu, bude třeba se obrátit na apoštolskou DATARIÍ s žádostí o vydání bully, jíž bude toto opatření potvrzeno.

5/ Konečně, co se týče případné rehabilitace kněží, kteří usilovali o manželství, měj před očima ustanovení, použité od nejvyšší svaté kongregace S. Officii, jež Tvé exelenci sdělují rezervátní cestou.

Ti, kteří se opět vzpamatovali, se osvobozují od trestů „firma irregularitate“, předpokládajíc dokonalé odloučení od ženy a nápravu pohoršení. Potom ať meškají v nějakém řeholním domě vhodný čas a činí pokání. Mezi tím necht' jsou zařízeny záležitosti pro úplné získání zákonné odluky nebo rozvodu. Po přiměřené době pokání, necht' získají schopnost ke sloužení mše většinou, „intra septa“. Oprávnění ke slyšení zpovědi se pravidelně neudílí, leč po mnohých letech bezúhonného života, nejprve mužů, potom /zřídka/ žen.

II/ Tvá exelence bude moci užít těchto nejspeciálnějších oprávnění na celém území, Tobě svěřeném.

b/ Dispozice přítomného dopisu je třeba držet pod papežským tajemstvím.

III/ V povolování rozličných milostí:

a/ Je třeba, pokud je možné, následovat římské praxe jak ve způsobu postupu, tak při ukládání výhrad a podmínek v jednotlivých případech.

b/ Ordinářové vyplatí Sv. Stolicí příslušnou taxu, jak to dovolí okolnosti.

c/ Tvá exelence nebo osoba od Tebe subdelegovaná se postará o obsáhlou zprávu o poskytnutí oprávnění, jež bude třeba svým časem předložit sekretáři Status Jeho svátosti.

Připojují se dva seznamy oprávnění od Sv. Stolice již pro ty krajiny, jež předpokládají praktickou možnost obrátit se do Říma, jejichž stav otevřeného pronásledování polevil. Takové seznamy se připojují nikoliv proto, aby se omezil rozsah přítomných nejspeciálnějších oprávnění, nýbrž toliko jako pravidlo při užívání těchto oprávnění.

Po celou dobu, v níž se ordinářové nemohou obrátit na Sv. Stolicí, všechna oprávnění, kterých nyní užívají a která zašle během času nebo vyč[erpání] počtu případů, pro něž byla povolena, mají být posuzována jako prodloužená.

## Brief von Dominik Tardini vom März 1950 an die tschechoslowakischen Ordinarien<sup>4</sup>:

Secretaria di Stato  
di Sua Santità  
N. 2438/50

SUB SECRETO PONTIFICIO  
Ex sedibus Vaticanis, Martii 1950

Rev.mis  
LOCORUM CECOSLOVACCHIAE ORDINARIIS

Per recentes literas Apostolica Internuntiatura Pragensis locorum Cecoslovacchiaae Ordinariis specialissimas subdelegabat facultates, quibus utendum esset si epistularum commercium inter Apostolicam Sedem et eosdem Ordinarios impossibilis evaderet.

Dum eiusmodi confirmat facultates unicuique Ordinariis pro eos territorio, Secretaria Status, veneratis Augusti Pontificis obsequens mandatis pressius quae sequuntur definire sibi curae habet:

- 1) In prima periodo memoratarum litterarum Rev.mis locorum Ordinariis datarum, verba „nullo modo“ delentur. Haec proinde periodus ita erit: „De venerabili mandato Secretarias Statum Suae Sanctitatis honori mihi est Excellentiae Tunc Rev.mae significare quod /pro casu in quo impossibile erit Internuntiaturae Apostolicae Tecum, et Tibi cum Sancta Sede communicare, et si periculum gravis damni in mora erit/ haec Pontificis Legatio Te subdelegat ex nunc pro tunc cum facultate iterum subdelegandi quatenus opus sit, ut cum [omnes?] facultates specialissimas hisce litteris sanatas concedere possis.
- 2) Textus N. 2 paragraphi I. facultatum specialissimarum dictis litteris adnexarum, qui his verbis incipit: „Pariter sunt exclusae“ immutatur atque substituitur hoc modo: „Pariter – uti patet – sunt exclusae ab ambitu praesentis delegationis:
  - a) facultas nominandi vel transferendi Episcopos aut accipiendi verum eorum dimissiones. Ad continuitatem vero dioecesium regiminis tutam efficiendam pro casu quo earum episcopalem sedem impediri accidat aut, ea vagante, Vicarius Capitularis nominari nequeat, provideatur secundum normas in folio huic adnexe [contentas?];
  - b) facultas modificandi quomodocumque statum dioecesium aut erigendi Administrationes Apostolicas autonomas. In difficultatibus fortuitis quae in adsistentia religiosa fidelium determinantum territoriorum exsurgeat, locorum Ordinarii quorum interest, nominare poterunt, si casus feret, suos Vicarios Generales vel Delegatos, eosque opportunis facultatibus instruere.
- 3) In N. 3 eiusdem paragraphi I. verbo „Desiderium sufficitur verbum “Voluntas” Novus igitur textus eiusdem N. 3 sic erit: Voluntas Summi Pontificis est, ne dispensationem a defectu aetatis pro Ordinationibus Sacerdotum super 18 menses concedantur, nec ordinentur antequam studia praescripta perficiant.
- 4) Per ea patet normam sub litt. b) paragraphi III earumdem facultatum, de taxis solvendis, in praesentibus rerum adiunctis in praxim deduci non posse.

Suadendum videtur, ut Sacerdotibus ad regendas dioeceses juxta normas in huic adnexo folio contentas designatis proprii eorum Ordinarii ex nunc pro tunc – et quatenus opus sit – facultates specialissimas subdelegat.

Dominicus Tardini m.p.

---

